



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput X. An ad culpam imputetur malum opus ex invincibili ignorantia
patratum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

gnum, atque mortiferum. Sed inquit P. Bruyn, nostro in cerebro hæc primum nata non est, quam ab Augustino accepimus, opinio. Tractatu cvi. in Joannem, *Hæc est enim, (inquit ille) vis vera divinitatis, ut creatura rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem.* Grandiusculis literis PP. Benedictini hanc præclaram Augustini Senten-

tiam, ne inconfiscate illam prætermittet, lector, typis ediderunt. Si vis vera divinitatis non potest creatura ratione utenti penitus abscondi, & Deum negant tantum perpauci, in quibus natura nimium depravata est, & affectiones, quæ corrumpunt animam, distrahunt mentem à veritate, quæ nunquam omnino absconditur; nullus profecto Deum ignorat invincibiliter, & peccatum philosophicum in solo hominum cerebro fictum est.

CAPUT X.

An ad culpam imputetur malum opus ex invincibili ignorantia patratum?

SUMMARIUM.

1. De ignorantia invincibili Propositio 1.
2. 3. & 4. Probatur.
5. Propositio 2. Probatur.
6. Notanda aliqua.

7. Probatur 2.
8. Opposita sententia verissima declaratur.
9. Respondetur argumentis à Genetto productis.
10. usque 19. Solvuntur Objectiones.

De Ignorantia invincibili.

QUÆ de ignorantia disserui revocant me ad insectanda dogmata Janseianorum adversum nos jam fractis extremisque viribus velantium. Censent enim ignorantiam juris naturæ invincibilem, eoquod pœna sit originalis peccati, neminem à culpa excusare, perperam in patrocinium mendacii pluribus Augustini testimoniis confarcinatis. Quod ante Janseium scripserat cum aliis Calvini gregalibus Hieronymus Zanchius citatus à Stephano Descamps lib. 111. H. Janf. Disp. v. cap. 1. Licet autem hæc hæretica assertio refutata sit una cum scriptis circa libertatem Novatorum articulis, eam rursus hic loci, ne magis necessaria præterire videamur, directe oppugnabimus.

I. PROPOSITIO I. Ignoratio juris naturalis, si invincibilis sit, à peccato excusat.

Probatur 1. Prob. 1. ex damnata ab Alex. VIII. positione: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Huc etiam spectant proscripti articuli Baji negantis necessarium esse ad imputationem peccati quod sit voluntarium. Dictum de his lib. xvi. cap. 2. & 3. Deinde probatur ex Augustino; qui non solum expressissimis testimoniis à me eodem loco productis affirmat nullum dari absque propria voluntate actuale peccatum, sed etiam hanc de ignorantia questionem aperte definit lib. 111. de lib. arbitr. cap. 19. his verbis: *Non tibi de-*

putatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Rursus probatur demonstrando Adversariorum in persequendo Augustini mentem halucinationem, atque oscitantiam. Affirmantibus siquidem Pelagianis nullum hominem nasci obnoxium originali peccato, ideoque concupiscentiam atque ignorantiam spectare ad naturam instituti hominis, non esse pœnam damnati, ut ait S. P. August. cap. xi. de Dono Perseverantiæ, & nos lib. xii. xiii. & xvi. demonstravimus, sanctissimus Doctor contendit utrumque, tam concupiscentiam, quam ignorantiam malum esse, & posse dici peccatum, in quantum peccato inductæ sunt, atque ad peccatum pertrahunt utentes libero voluntatis arbitrio. Caterum ait neminem ob ignorantiam illam damnari, nisi propria negligentia quis tenebras sibi arcessat. Qui autem hæc docet, neque affirmat ignorantiam invincibilem esse actuale peccatum, neque opus ex illa patratum debere ad culpam imputari. Perperam igitur obstrepunt Adversarii contra inconcussam, firmissimamque S. P. Augustini auctoritatem.

Sane Augustini scopum esse demonstrare ignorantiam non esse naturam hominis instituti, sed pœnam damnati, ut inde originariam labem, & specialis gratiæ inferat necessitatem, liquet ex ejus adversus Pelagianos disputationibus, ac præsertim ex libro contra Jul. VI. Ibi enim cap. 16. demonstrat ignorantiam malum

2. Probatur 2.

malum esse, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala, & per quod homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei. Nec tamen sequitur quod perpetrentur mala per ignorantiam invincibilem, sed tantum quod ignorantia vitio primi peccati infeminata sit complurium scelerum radix, quemadmodum & concupiscentia; quæ, etsi pejor est ignorantia, ut eo loci S. P. demonstrat, nihilo tamen minus nonnisi contententibus nocet. Malum est ergo per Augustinum ignorantia, quoniam ex peccato est, trahitque ad peccatum, licet nullus peccet, nisi ignorantiam ipsam affectet, vel quærere negligat quod ignorat. Producit autem S. Pater eodem Opere lib. 111. cap. 19. ad comprobandum ignorantiam malum, exemplum Abimelech, qui ignorans Saram esse uxorem Abrahami illam rapuit, & in 1. Retract. cap. 9. exemplum Davidis & Pauli; quorum alter ait, Ignorantias meas ne memineris, alter vero, Ignorans feci in incredulitate. Profecto ignorantia Abimelech, Pauli, & Davidis ex originali labe traxit originem, sed hi non laborarunt ignorantia invincibili legis naturæ. Si ergo peccaverunt, fuit ipsorum ignorantia vincibilis, propterea quod neglexerint quærere quæ ignorabant. Nam ignorantiam facti, si nequeat superari, excusare à peccato fatetur Janfenius, probatque ex Augustino lib. 2. cap. 26. adversus Cresconium. Cum igitur S. Pater ad probandum ignorantiam malum hunc sibi scopum præfixerit, ut ex illa commonstret vitiatam esse peccato originali naturam, atque ad evincendum non esse ignorantiam ipsam conditionem naturæ perfectam proferat exempla eorum, qui peccaverunt ignorantia facti, vel juris positivi; consequens est nihil aliud Augustinum contra Pelagianos intendere, nisi ignorantiam esse vitium derivatum à peccato, & in iis, qui cum possint, illam dispellere negligunt, peccati causam. Vide etiam librum 1. de peccat. meritis, & remiss. cap. 36.

3. Probatur 3. Alterum ex Augustino depromptum argumentum est; quod si ignorantia invincibilis juris naturæ non excusaret à culpa, quia peccati originalis poena est; nec etiam excusaret infidelitas negativa, eorum scilicet, quibus annuntiatum non fuit Christi Evangelium. Cur enim pluribus annuntiatum non sit, venit de occulto judicio, ut S. Pater demonstrat lib. de Dono persever. cap. 9. & seq. Atqui infidelitas negativa non imputatur in culpam, quidquid novi obgan-

niant Dogmatistæ post Bajum, cujus assertio damnata est art. 67. Igitur neque imputari potest ad culpam invincibilis ignorantia, propterea quod poena sit originalis peccati. Minorem propositionem, quam ad fidem spectare constat ex damnatione citati articuli 67. his verbis expressi, *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, etiam Augustinus commonstrat Tract. 89. in Joann. & Epist. 194. olim 105. ex illa Christi sententia, *Si non venissem, & eis locutus non fuisset, peccatum non haberent*. Quibus in locis mirum est quærere Janfenianos præsidium erroris sui, cum Augustinus in Epist. ad Sixtum scribat: *Hoc peccatum Judæos non habituros fuisse, si non venisset, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum*: & cit. Tract. in Joann. *habere excusationem de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus*.

Hujus firmissimæ veritatis possumus rationes multas proferre. Prima est, quod poena consequens ex originali peccato, nisi accedat liberi arbitrii consensus, nequeat nocere, remaneatque etiam in renatis, in quibus originariæ culpæ labes abstergitur. Altera huic affinis, quod nullum est, nisi sit voluntarium, actuale peccatum. Tertia parum absimilis, quod si ad imputationem peccati sufficeret ignorantiam contrahi ob culpam Adæ, peccatum esset dementia quoque, furor, ac phrenesis, quibus in poenam primi peccati complures subji-ciuntur. Quarta ex his profluens, quod plures ratione utentes, & qui non repugnarent veritati, si eis affulgeret, in damnationem protraherentur inviti.

PROPOSITIO II. Nullus hominum compos sui laborat ignorantia juris naturæ invincibili.

Demonstratur 1. S. P. auctoritate. Probatur 1. Scribit enim Augustinus in Psal. 116. *Nullus est, qui faciat injuriam alteri, nisi qui sibi fieri nolit: etenim in hoc transgreditur naturæ legem, quam non finitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati*. Et in 11. Conf. cap. 4. *Furtum punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsi delet iniquitas*. Quis enim fur æquo animo furem patitur? II. Demonstratur ratione, quæ ex Apostolo, & eodem Augustino deprompta est. Tametsi per originale peccatum ignorantia & difficultas in singulos Adæ posteros promanavit; nihilo tamen minus etiam Gentes nullis legalibus præceptis

imbutæ, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, ut Apostolus docet ad Rom. 11. 15. ideoque nulla est anima quamvis perversa, quæ tamen ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus; quemadmodum ex verbis Apostoli infert S. Pater lib. 2. serm. Dom. in M. cap. 9. Atqui vis illa ratiocinandi, illa intima ad singulorum conscientiam supremi Numinis allocutio, testimonium illud animi, & reprehendens aut defendens propria singulorum cognitio nihil sunt aliud, quam Divini luminis irradiatio, & indita universalis regula immutabilis æquitatis, seu lex naturæ. Ergo hanc legem nemo eorum, qui ratiocinari possint, & peccandi libertate, intimaque conscientia præditi sint, ignorat invincibiliter.

6.
Notanda
aliqua.

Advertendum tamen, spectari posse naturalem legem & quoad universalia principia, & consecutiones proxime inde illatas, cujusmodi sunt, *Quod tibi non vis, alteri non feceris, Diligendus est Deus, Parentes honorandi sunt, &c.* & quoad consequentias, ut inquirunt, remotas, quæ ex iisdem principiis non nisi difficulter à sapientibus deducuntur; cujus generis sunt complura ad legitimos contractus pertinentia. Est ergo sententia aliquorum dari non posse legis naturæ invincibilem ignoracionem, nec etiam quantum attinet ad remotissimas consecutiones; pro qua sententia plura erudite conscripsit Presbyter Ballerinius Veronensis in Conf. Epistolæ Pauli Segneri cap. v. & in Epistola 1. adversus Anonymum Dissertatorem. Fulcitur autem hæc sententia proximis argumentationibus.

7.
Probatur 2. Videtur principio valde conformis Sanctorum Patrum auctoritati. Etenim Ambrosius citatus in C. *Turbatur* dist. 1. 4. ait: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Augustinus de Grat. & lib. arb. cap. 3. *Ignorantia neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Epist. 47. alias 154. *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putans utique peccat.* Similia habet Bernardus de præcepto & dispensat. cap. 14. S. Thomas Quodl. viii. art. 13. *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Idem docet Quodlib. 111. Q. iv. art. 2. Gerson denique De vita spiritali lect. 14. *Concors est sententia, nullam in iis, quæ legis Divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* His

accedit ratio, quoniam ut ignorantia reputanda sit invincibilis, requiritur, quod superari nequeat viribus naturæ, vel gratiæ. Nam gratiæ munus est facere ut innotescat quod ante latebat. Quamvis ergo darentur aliqui tali ignorantia laborantes, ut naturalis intelligentiæ lumine non possent illam dispellere; nemo est mortalium, qui id nequeat superna suffultus illustratione. Hac vero non nisi iusto iudicio, & in pœnam peccati privabitur; quod sane nullam peccato asferre potest excusationem, neque ignorantiam, per quam aliquis errat in-vitus, reddere simpliciter involuntariam.

Verissimam tamen puto sententiam oppositam; & circa consequentias juris naturæ remotissimas censeo ignorantiam invincibilem esse admittendam, minus sollicitus an talis ignoratio ratione adjunctorum, sive circumstantiarum rerum, à quibus universalis legis præscriptio longe distrahitur, appellanda sit potius facti, quam juris. Huc enim videtur tandem descendere Cl. Theologus Veronensis. Et quidem sententia illa non solum traditur à Theologis laudatis ab Auctore Epistolæ vernacula lingua adversus Ballerinium conscriptæ pag. 86. & seq. sed etiam illam tenent omnes fere Egidiani, ac Thomistæ, nec non Sylvius in 1. 2. q. 76. q. 2. concl. 4. Ludovicus Habert de Actib. Humanis cap. 1. §. 3. q. 10. L'Herminier Tom. v. pag. 254. aliique communiter. Cujus assertionis hæc videtur ratio apertissima, quod conclusiones juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque discursu, quem rudes quamplurimi etiam ordinariis gratiæ adjumentis non destituti efformare nequaquam valent, ut in multis ad usuram, & matrimonii impedimenta spectantibus non perraro contingit.

Superiora autem argumenta producta etiam à Genetto Tract. 1. de Morali cap. 2. non admodum videntur valida. Omnia quippe allata testimonia de jure naturæ spectato quantum ad universalia principia, proximasque conclusiones, & quantum ad ignorantiam homini propria culpa, ac negligentia insidentem, possunt, ac debent intelligi. Deinde, ut brevi singula expediamus: Ambrosius quo loco ea scripsit? Laudatur utique Ambrosius in C. *Turbatur*; & citatur S. Doctoris serm. xi. & lib. v. in Lucam: sed ibidem hoc tantum Ambrosius docuit, quomodo cavere debeamus proditores, ne per eos plurimi fluctuentur, nam, *Licet Petrus esset firmus suis meritis, perturbatur tamen crimi-*

7.
Opposita
sententia ve-
rissima de-
claratur.

9.
Responde-
tur argu-
mentis à Ge-
netto pro-
ductis.

nibus proditoris. Non exeat eo loci, quod de ignorantia addiderunt Collectores Canonum, quamquam & hiloquantur de Jure naturæ primario, & de honore à libertis exhibendo dominis, ut observat Glossator. Prætermitto sermonem xi. nunc xxxvii. esse Ambrosio suppositum.

IO.
Solvuntur
argumenta
Augustini.

Augustinus de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. hoc tantum docet, ignorantiam eorum, qui non crediderunt in Christum, nequaquam ipsis infidelibus præstituram, ut non ardeant igne sempiterno, non quia non crediderunt, id enim ipsis non imputatur ad culpam, dummodo nescire noluerint; sed quia legem naturæ inscriptam cordibus suis libere transgressi sunt. Mitiùs tamen ardebunt, quoniam fidelium graviora sunt ob fidei, & vocationis beneficium peccata. Aliud est enim (inquit S. Pater) nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet; sed fortassis ut mitius ardeat: non enim sine causa dictum, Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt. Ubi, quoniam hunc Augustini locum objectat etiam Janfenius, duo animadverto; primum ignorantiam eorum, qui non audierunt omnino Evangelium, de quibus loquitur S. Pater, esse ignorantiam juris positivi, quæ ipsorum Janfenianorum confessione excusat à culpa: alterum proferri ab Augustino verba Psalmistæ adversus Gentes idololatrias, quarum ignorantia de Deo Auctore naturæ fuit præcudubio vincibilis. Sensus ergo est, infideles non ideo evasuros sempiternum gehennæ supplicium, quia non crediderunt in Christum; sed licet ob hanc causam mitius fortassis ardebunt, in perpetuum tamen excrucandos, quia non servarunt legem naturæ cordi singulorum inscriptam, quantum ad Dei cultum, & naturalia præcepta omnibus manifesta. Epistola autem XLVII. distinguit Augustinus ignorantiam eorum, qui putant cibum, quo vescuntur non esse idolothytum, ab ignorantia eorum, qui idolis immolant sacrificia: quarum prima est ignorantia facti, altera juris, & veritatis ex universali principio proxima consecutione deductæ, ideoque recte docet consistere cum hac ignorantia peccatum.

II.
Solvuntur
argumenta
D. Thomæ.

S. Thomas Aquinas in 1. 2. q. 100. art. 1. disputans an præcepta omnia

moralia ad naturalem legem pertineant, communem sententiam his verbis illustrat: *Quædam enim sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos philosophos. Quædam vero sunt ad quæ dijudicanda indiget homo adjuvari per instructionem Divinam, sicut est circa credenda. Sic igitur patet quod cum moralia præcepta sint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem sunt, quæ rationi conveniunt, omne autem rationis humanæ judicium naturali ratione derivatur, necesse est quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse faciendæ, vel non faciendæ, sicut, Honora patrem tuum, & matrem, & non occides, non furtum facies, & hujusmodi sunt absolute de lege naturæ. Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus judicantur esse observandæ, & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientioribus instruantur, sicut illud, Coramcano capite conjurge, &c. Si ergo nequeat rudis homo intrui disciplina sapientium, eamque requirere, & adipisci non negligat; quis ambigit ejus ignorantiam juxta Doctorem Angelicum esse invincibilem? At non affirmat S. Doctor, inquit Theologus Veronensis, errorem, si quis interveniat, omni, vel levi culpa vacare. Id suapte natura consequitur. Nam si culpa vacat ignorantia rerum credendarum, ubi nequeat haberi Divina institutio; cur delicto non caret ignorantia remotissimarum veritatum, si inculpate desit institutio, ac disciplina Doctorum? Liqueat enim S. Thomam de una, ac de altera ignorantia simili modo ratiocinari. Ad hoc igitur Angelici D. documentum si cætera revocentur, constat ab illo culpam adnecti duntaxat errori vincibili, ut eodem quodlib. 111. aperte declarat Q. xii. art. 2. ad 2. Ignorantia juris non excusat à peccato, nisi forte sit ignorantia invincibilis.*

Traduntur similia à Gersoni in lib. de Potest Eccl. Conf. xiiii. Tom. 2. edit. Dupinii pag. 252. atque in Compendio Theologiae (si tamen illud Gersoni tribuen-

12.

Solvuntur
argumenta
Gersonis.

buendum est) Tom. 1. pag. 412. In libro autem de vita spirituali lect. 1v. Coroll. 3. post ea verba: *Concors est sententia, nullam in his, quæ legis Divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem*, statim profert hanc suæ assertionis rationem: *Quoniam facienti quod in se est Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitacionem*. In illorum itaque sententia, qui propugnant dari infideles quosdam omni gratiæ lumine destitutos, quemadmodum falsa est ratio allata Gersonis, ita & præcedens assertio. Quamquam certissimum est infideles illos damnari non propter id, quod ignorant invincibiliter, sed propter id quod libera voluntate committunt, aut dignoscere negligunt. Nam si aliqui sunt ob originale peccatum *negative* reprobati, iustoque iudicio derelicti, nil eis præter originalem labem, quam contrahunt generatione, imputari potest ad culpam, nisi quod libera voluntate patnaverint. Atque his diluitur argumentum postremo loco productum.

13.
De eo, qui
omnino
ignorat,
quod scire
tenetur.

Quod si quis in profundum peccatorum demersus talem mentis caliginem contrahat, ut omnino ignoret quod scire tenetur, is laborabit ignorantia aliquo sensu invincibili, & necessaria quadam infirmitate tabescet: sed quoniam ignorantia illa pœna peccati est, non originalis, sed actualis; nullam excusationem habebit peccatorum illorum, quæ aut à se committenda præviderat, aut committit indifferentia iudicii, & cum optione malorum. De his tenebrionibus, & lucifugis loquitur D. Bernardus de disp. cap. xiv. *Obscuratum quippe (ait) insipiens cor eorum, qui istiusmodi sunt, & quasi jam traditi in reprobum sensum, bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt. De quibus scriptum est: Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit. Solvuntur ex dictis argumenta Jansenii, quæ tamen breviter dirimenda proponam.*

AD EA QUÆ OBJICIUNT JANSENISTÆ.

14.
Objectiones
Jansenista-
rum.

Adversarii itaque plura opponunt. Primo, inquit, definitum est in Palæstina Synodo: *Oblivionem, & ignorantiam subiacere peccato*. Deinde Augustinus innumeris locis Jansenii assertum expressit. Et libro de Grat. & lib. arbit. cap. 3. nonnulla jam delibavimus: attulimus & quædam ex epistola XLVII.

Ad Sixtum epist. cy. nunc 194. ait: *Inexcusabilis est omnis peccator, vel vitio originis, vel additamento propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat*. Causam subinde profert, quoniam, *in iis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in iis autem, qui non potuerunt pena peccati*. Eadem repetit in omni fere adversus Pelagianos disputatione. Sæpissime etiam appellantur ab ipso Augustino peccata, quæ per ignorantiam etiam invincibilem perpetrantur, ut in 111. de lib. arbitrio cap. 19. Pluribus demonstrat omnem ignorantiam esse damnabilem disputans adversus Julianum lib. vi. cap. 16. & de Nat. & Grat. cap. 17. In libro etiam 1. Confess. cap. 7. plura deflet peccata infantia, quæ *nec nos reprehendi nec ratio finebat*. Accedit S. Hieronymus, qui lib. 1. adv. Pelagianos peragrans latissima Scripturam spatia demonstrat errorem omnem, atque ignorantiam esse peccatum. His & consimilibus documentis veritatis errorem suum incurstant Janseniani.

Respond. Palæstinam Synodum pro-
scribendo septimum illud Capitulum
Cælestii: *Oblivionem, & ignorantiam* 15.
non subiacere peccato, damnare duplex
Pelagianum paradoxum: unum quod
ignorantia non subiacet peccato origi-
nali, sed est conditio naturæ, eoquod
non secundum voluntatem eveniat, sed
secundum necessitatem: alterum quod
ignorantia sive juris sit, sive facti pos-
sit quandoque appellari perfecta iustitia.
Rejici definitione Synodi Palæstinæ du-
plex illud Pelagianorum assertum con-
stat ex libro Augustini de Gestis Pelagii
cap. xviii. n. 42. Ibi enim ad revin-
cendum Cælestium, & illius damnatio-
nem comprobendam profert S. Pater
verba Davidis: *Delicta juventutis meæ,
& ignorantia mea, ne memineris, &
sacrificia, quæ in libro Levit. pro pec-
catis ignorantia præcipiuntur*. Hæc
autem de ignorantia juris naturalis ne-
queunt intelligi. Frustra itaque ad
hanc ignorantiam proscriptio Cælestiani
capituli detorquetur. Sane Pelagianos
affirmasse ignorantiam non esse malum
ex peccati propagine infeminatum, ne-
mo unus ignorat. Protulisse parado-
xum alterum, quod ignorantia perti-
neat ad perfectionem, constat ex lib. 111.
contra Jul. cap. 19. num. 36. ubi S. Au-
gustinus refert Juliani verba: *Perfectam
ignorantiam iustitiam nominari, quia
dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara
fuerat concubiturus ignorans, quod uxor
esset aliena, Et ego sciebam, quia in corde*
mun-

mundo feciſti hoc. Unde magis apparet quod ſupra aſſerimus, Auguſtinum non de ſola ignorantia juris naturæ contra Pelagianos diſputaſſe, ſed de omni prorsus etiam juris poſitivi, atque facti, ut ipſius ignorantia non Deum auctorem, ſed originale peccatum fuiſſe cauſam evinceret.

16. In Epistoſa ad Sixtum aſſert primum
Reſponſio 2. S. P. verba Jo. xv. 22. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Ex quo inferunt non imputari ad culpam peccatum infidelitatis iis, qui Evangelium non audierunt. *Hoc peccatum (inquit) non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, qui cum audiſſent eum, non crediderunt in eum.* Excusaſur ergo à peccato infidelitas *negativa* ignorantia conjuncta invincibili. Deinde inſtituit quaſtionem, num excuſabiles ſint, qui non audierunt, ac reſpondet, eſſe quidem excuſabiles in eo quod non crediderunt, at non eſſe excuſabiles ob alia peccata. Enimvero vel damnaſur propter originale peccatum, & hoc illis juſto Dei judicio imputatur, quoniam per unum hominem introiit in mundum, in quo omnes peccaverunt ideoque non admittit de hoc peccato excuſationem Deus, qui creavit hominem rectum: vel damnaſur peccatis propria voluntate patrat, & de his proculdubio nullam habent excuſationem, ſive ii, qui legem naturalem cordibus inſcriptam inſrunt, nec Evangelium audierunt, ſive ii, qui audierunt, & additamento propriae voluntatis in Judæorum infidelitate perſiſterunt. Proferamus non mutilata, ſed integra verba Auguſtini: *Secundum hanc excuſationem inexcusaſiles dicit Scriptura Divina quoscunque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcat, qui non audierunt. Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientia dediſſe præceptum, nec niſi ejus, qui male uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros, maſſe peccatum. Neque enim damnaſur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibusque peccata, omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcusaſilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat; quia &*
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pena peccati. Eſto itaque Auguſtinianæ diſputationis ſumma. Excusaſur qui non audierunt Evangelium, nec audire potuerunt de peccato infidelitatis; non excusaſur quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & ſervierint creaturæ potius, quam Creatori. Dereliſti in tenebris, & in maſſa perditionis propter originale peccatum, cui propria ſuperaddiderunt, nequeunt excuſare ipſum peccatum originale, quoniam illud contraxerunt in Adam, & quod Chriſti fidem non acceperint, & ſine lege perierint, pœna eſt transgreſſionis Adæ in quo omnes peccaverunt: nequeunt excuſare actualia peccata, & ipſam infidelitatem, ſi intelligere noluerunt, quoniam in his, quæ propria culpa neglexerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt. Peccatum ergo inexcusaſibile non eſt ignorantia invincibilis juris naturæ, ſed peccatum originale cujus pœna eſt, ſi quis non eſt prædeſtinatus ad fidem, & infidelitas ipſa vincibilis, nempe illorum, qui intelligere noluerunt.

Ubi vero Auguſtinus appellat peccata, quæ per ignorantiam invincibilem perpetrantur, peccatum dicit, quod peccato factum eſt, *ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quod movemus in ore, dum loquimur, ſed etiam illud quod bujus membri motum conſequitur, id eſt formam tenoremque verborum,* inquit eodem libro 111. de lib. arbitrio cap. 19. Hoc ſane pacto diximus lib. xi 11. cap. 5. concupiſcentiam appellari peccatum, qui ex peccato eſt, & ad peccatum inclinatur, ut poſt Auguſtinum Tridentina Synodus declaravit.

In libro vi. contra Julianum demonſtrat S. Pater concupiſcentiam, & ignorantiam eſſe intrinſece malas, ut inde evincat peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem. Objicienti autem hæretico, cur hoc malo non careat qui baptizatur, reſpondet: *Horum malorum omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renaſcentibus, minuitur in proſcientibus.* Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiſcentia minuitur charitate magis magisque fervente. Ita eodem cap. xvi. num. 50. En aperte Auguſtinus concupiſcentiam, & ignorantiam malas eſſe pronuntiat, ſed in baptizatis utriusque malo non aſſentientibus ſe jungit à peccato reatu, probans, ex quo remaneant ad luctam neceſſariam eſſe

17.
Reſponſio 1.

18.
Reſponſio 4.

gratiam sanctæ inspirationis, & dilectionis. At de nat. & gratia cap. xvii. num. 19. solam ignorantiam vincibilem culpandam affirmat: *Quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset, dum tamen omnia potius disputet, quam ut oret, & dicat, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit.* In libro denique Confessionum primo cap. vii. opera, quæ comitantur infantiam appellat peccata, in quantum revera naturali legi, ac lumini rationis repugnant, & sunt confectaria miserrimæ originis, de qua David Ps. l. ait: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Verum negat esse peccata, quæ imputari valeant ad culpam: ita ut reprehenda quidem fuerint in se inspecta, sed nullam promeruerint reprehensionem, quatenus facta à puerulo absque rationis usu operante. Tunc ergo (inquit) *reprehendenda faciebam: sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat.*

19. Hieronymus adversus Pelagianos de Responsio 5. monstrat plura peccata à nobis per ignorantiam committi, ideoque hoc malum esse nobis insitum vitiatæ generationis origine, neque vitari posse peccatum sine gratia Reparatoris. At frustra Jan-

seniani de sola ignorantia invincibili, & juris naturæ Sanctum Doctorem interpretantur: frustra inferunt per Hieronymum ignorantiam illam non excusare à peccato. Nam ut Pelagianos revincat per Scripturarum spatia discurrens probat dari ignorantia peccata ex cap. xxi. Exodi v. 13. ubi mulctatur exilio, qui occiderit aliquem per ignorantiam absque voluntate, & insidiis. Ex cap. v. Levitici v. 17. ubi præcipitur offerendum esse arietem pro anima, quæ per ignorantiam aliquid immundum tetigerit, & legis caeremonias fuerit prævaricata. Ex cap. xxi. ejusdem libri v. 14. ubi ei, qui per ignorantiam comederit de sanctificatis, mandatur, ut deferat ad Sanctuarium, & det Sacerdoti certam partem ejus, quem ederit cibi. Ex cap. xxxv. num. v. 11. ubi decernuntur civitates refugii pro iis, qui nolentes sanguinem fuderint. Ex i. Regum cap. xiv. 43. ubi Jonathas damnatur à patre, quod gustaverit in summitate virgæ paululum mellis, quamquam paternum mandatum, ac juramentum nesciret. Hæc omnia exempla sunt juris positivi, vel facti, in quibus ignorantia, fatentibus Jansenistis, excusatur à culpa: ideoque certissimum est beatum Hieronymum Pelagianos refellentem universæ ignorantia malum describere, ut commonstret in nobis proclivitatem ad vitia, & supernorum auxiliorum necessitatem. Vide quæ scripsimus lib. xii. cap. 10. & lib. xvi. cap. 2. & seqq.

C A P U T XI.

Traduntur nonnulli Canones ad dignoscendum quando ignorantia, vel delectatio culpabilis censenda sit, quando verò excusanda.

S U M M A R I U M.

i. usque ad 10. Canones pro dignoscenda ignorantia.

Canones pro dignoscenda ignorantia.

QUAMQUAM facile ex dictis inferatur quænam officia delectatione, vel ignorantia labefactentur; placet tamen regulas quasdam subicere, quarum lumine dubia quæque moralia circa hanc materiam exorta absque ulla hæsitacione solvantur. Ergo cum ignorantia nihil sit aliud, quam scientiæ & cognitionis defectus, scire autem quis possit aut veritatem quæ nulla ratione ad sempiternam salutem ex se conducit, aut veritatem quæ perutilis quidem est, ut salutem consequamur, sed minime est necessaria; ut denique veritatem, sine

cujus notitia æterna salus est impossibilis; consequitur ignorantiam esse vel rerum ad salutem non pertinentium, vel utilium, vel præscriptarum.

CANON I.

Christus nequaquam mortuus est, ut finis philosophi, vel mathematici, neque naturalium scientiarum ornamenta suapte natura ad pietatem religionemque disponunt: quapropter naturalium disciplinarum ignorantia, sive voluntaria sit, sive involuntaria, per se ad culpam non est imputabilis. Quoniam tamen

I.
Canon I.